



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CXXXII. De Bello singulari omnium Castrorum & Civitatum terrae  
Prussiae in secunda Apostasia, primo de Balga.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

Hanno de Sangerhausen. VII Mag. Gen. Ord. Teut.  
Conradus de Tierburg IX. Mag. Provinc. in Prussia.

**G**LAPPO Capitaneus Warmiensium habuit quendam Virum sibi subjectum, dictum Steinovv, quem tenerrimè dilexit. Sæpius eum à mortis periculo liberavit: sed ille immemor beneficii sibi ab eo præstiti retribuebat mala pro bonis, & odium pro dilectione. Cogitavit enim qualiter ipsum in mortem traduceret, & ut hoc posset deducere ad effectum, invitavit ipsum ad expugnandum Castrum quoddam, situm in terra Sambia, circa littus maris recentis, ferè ex opposito Castri Brandenburg, assurgans ei diem, quando cum suo deberet exercitu advenire. Medio tempore iste Steinovv venit ad Commendatorem de Kunigsberg, & factum hujusmodi prodidit, consulens ei, ut cum exercitu suo secum iret; qui annuens consilio suo, assumptis sibi pluribus fratribus & armigeris, venit, & Glapponem cum exercitu suo in obsidione dicti castri invenit, & irruens repente in ipsos omnes occidit. Sed Glapponem secum duxit Kunigsberg, & in monte, qui à Nomine suo usque in præsentem diem dicitur mons Glapponis, suspendit. Occisis ergo Capitaneis & aliis per quos bellum regebatur, Nattangi & Warmientes fidei & fratribus iterum submiserunt.

## CAP. CXXXII.

De

### Bello singulari omnium Castrorum & Civitatum terra Prussia in secunda Apo- stasia, primo de Balga.

**P**Ræmisso in Generali de Bello secundæ Apostasie (a) descendendum est ad singulare prælium cuiuslibet Castri & territorii terræ Prusciae. Unde non moveat Lectorem si aliqua

bella



CHRONICUS PRUSSIÆ.

Manno de Sangerhausen VII. Mag. Gen. Ord. Teut.

Conradus à Tierburg IX. Magister Provinc. Prussiae.

329

bella infra secundam Apostasiam jam posita, vel ponenda non inveniat eo ordine, quo sunt digesta, quia jam transiverunt à memoria hominum nunc Viventium, quod nullus de ipsis posset se modo debito expedire: factum quidem pro majori parte ponitur, sed tempus debitum non servatur. Unde per anticipationem multa reperies hic posita & descripta. Postquam War-mienses Nattangi & Barthi An. Dn. MCCLX. apostataissent à fide & fidelibus, circumiverunt terras suas armatâ manu, & quotquot invenerunt Christianos, occiderunt, mulieres & parvulos captos deduxerunt. Posthac processerunt versus Balgam & equos fratrum & pecora spoliaverunt, quod non una sed pluri-  
tus Vicibus factum fuit.

ANIMADVERSIO.

(a) Codex Thoruyensis addit hæc verba: quæ Anno 1260. incepit.

CAP. CXXXIII.

De.

Occisione III. Fratrum & XL.

Virorum.

NON longè postea duo Nobiles & potentes (a) Stumo & Stutze cum magno Exercitu venerunt ante Balgam. Fra-  
tres cum suis occurentes eis, duos Pruthenos nobiles interfe-  
cerunt. Hac die fuit tanta Nebula, quod nullus alius à Ion-  
gè videre potuit. Unde factum fuit, quod dum fratres Pru-  
thenos recedentes vellent invadere, quia media pars exercitus  
ipsorum transivit paludem, illi, qui in Insidiis latitabant, eru-  
runt, & tres fratres cum XL. viris interfecerunt.

ANIMADVERSIO.

(a) Secundum habet Jeroschinus. Codex Thioruniensis Scumo.

Ef 3

CAP.

